

CAROLUS DEI Gratia *Anglicæ Scotiæ Franciæ et Hiberniæ Rex* Fidei Defensor, &c. OMNIBUS ad quos Præsentes Litteræ nostræ pervenerint SALUTEM.

II. CUM perdilectus et perquam fidelis Subditus noster *CÆCILIVS CALVERT* Baro de *BALTIMORE* in Regno nostro *Hiberniæ* Filius et Hæres *GEORGIÏ CALVERT* Militis nuper Baronis de *BALTIMORE* in eodem Regnô *Hiberniæ* Patris inhærens Vestigiis laudabili quôdam et piô *Christianam Religionem* pariter et Imperii nostri Territoria dilatandi Studiô flagrans Licentiam nobis ut copiosam *Anglicanæ* Gentis Coloniam Industriâ ac Impensâ suâ ad certam quandam Regionem inferius describendam in Terrâ quâdam in Partibus, *Americæ* hæctenus incultâ et Barbaris nullam Divini Numinis Notitiam habentibus in Partibus occupatâ deducere possit totamq; illam Regionem cum certis quibusdam Privilegiis et Jurisdictionibus ad Coloniam suam et Regionis prædictæ salubre Regimen et Statum pertinentibus a Regiâ nostrâ Celsitudine sibi et Hæredibus suis dari concedi et confirmari humiliter supplicaverit.

III. SCIATIS igitur quod NOS pium et nobile præfatorum Baronum de *BALTIMORE* Propositum et Studium Regio Favore prosequentes ex Gratiâ speciali certâ Scientia et mero Motu nostris DEDIMUS CONCESSIMUS et CONFIRMAVIMUS et per hæc præsentem CHARTAM nostram pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris præfato *CÆCILIO* modo Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis DAMUS CONCEDIMUS et CONFIRMAMUS totam illam Partem Peninsulæ sive *Chersonesi* jacentis in Partibus *Americæ*, inter Oceanum ex Oriente et finem de *Chesapeake* ab Occidente à Residuo ejusdem per rectam Lineam à Promontorio sive Capite Terræ vocato *Watkin's Point* juxta finem prædictum prope Fluvium de *Wigbo* scituato ab Occidente usque ad Magnum Oceanum in Plaga Orientali ductam divisam Et inter Metam illam à Meridie usque ad Partem illam Estuarii de *Delaware* ab Aquilone quæ subjacet quadragesimo Gradui Latitudinis Septentrionalis ab Æquinoctiali ubi terminatur *Nova Anglia* totumque illius Terræ Tractum infra Metas subscriptas (*videlicet*) Transeundo à dicto Æstuario vocato *Delaware-Bay* rectâ Lineâ per Gradum prædictum usque ad verum Meridianum primi Fontis Fluminis de *Pattowmack* deinde vergendo versus Meridiem ad ulteriorem dicti Fluminis Ripam et eam sequendo qua Plaga occidentalis ad Meridionalem spectat usque ad Locum quendam appellatum *Cinquack* prope ejusdem Fluminis Ostium scituatum ubi in præfatum Sinum de *Chesapeake* evolvitur ac inde per Lineam brevissimam usque ad prædictum Promontorium sive Locum vocatum *Watkin's Point* Ita quod totus Terræ Tractus per Lineam prædictam inter magnum Oceanum et *Watkins Point* divisus usque ad Promontorium vocatum *Cape-Charles* et singula sua Appenditia NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris întegre remaneant excepta Imperpetuum.

IV. NEC NON omnes Insulas et Insululas infra Limites prædictos CONCEDIMUS etiam et CONFIRMAMUS eidem Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis omnes et singulas Insulas et Insululas ab Orientali prædictæ Regionis Littore Orientem versus in Mari natas vel nascendas infra decem Leucas marinas ab eodem Littore scituatas cum omnibus et singulis